



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

12. de corporalis creaturæ conditione. & primò qua[n]tum ad materiale principium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

omnia sciūt: sed dicitur quòd Isido. nec oēs,  
nec oīa perfectè Angelos scire dixit: & ideo  
eos in scientia proficere nō remouit. & ver-  
bum Grego. accipiendum est de his, quo-  
rum cognitio beatum facit cognitorem: vt  
sunt ea quæ ad mysterium Trinitatis & vni-  
tatis pertinent.

*Oratio.*

## DE CORPORALIS

creaturæ conditione, & pri-  
mò quantum ad mate-  
riale principium.

DISTINCT. Duodecimæ  
CAP. Primum.

*Materia informis præcessit tempore di-  
stinctionem rerum.*

*Su. ge.*  
*lib. 1.*  
*cap. 15.*  
**Q**uamuis quidam tradiderint (vt & sen-  
siffe videtur Aug.) omnia simul in  
materia & forma creata fuisse: sunt alij ta-  
men (vt Greg. Hiero. & Beda) quorum sen-  
tentia scripturæ Geneseos magis congruere  
videtur, qui asserunt materiam primam ru-  
dem atque informem, quatuor elementorum  
commixtionem complectentem, primò crea-  
tam: deinde ex illa materia per interualla sex  
dierum rerum corporaliū genera fuisse for-  
mata secundum species proprias: sicut osten-  
dit scriptura Geneseos, quæ dicit in principio  
deum creasse cælum. i. Angelos: & terram,

*Cap. 1.*

○

scil. materiam quatuor elementorum adhuc  
 cōfusam & informē, quæ à Græcis dicta est  
 chaos. & hæc fuit ante omnē diem. & ea in-  
 formis & cōfusa materia ideo nomine terræ  
 nūcupata est (vt ait Aug. cōtra Manichæos) <sup>cap. 7.</sup>  
 quia terra inter oīa elemēta min<sup>9</sup> est specio- <sup>li. 1. de</sup>  
 sa: & eādē abyssum vocat dicēs: Et tenebræ <sup>gene.</sup>  
 erāt sup faciē abyssi: quia cōfusa erat & cō- <sup>cont.</sup>  
 mixta, specie distincta carēs: eādē rursus ap- <sup>manic.</sup>  
 pellat aquā, super quā ferebatur spiritus do-  
 mini, sicut superfertur fabricādis rebus volū-  
 tas artificis: ideo quia oīa quę in terra nascū-  
 tur, siue animalia, siue plāte, ab humore inci-  
 piūt formari atq; nutriri. His omnib<sup>9</sup> voca-  
 bulis vocata est illa informis materia, vt res  
 ignota nobis vocabulis insinuaretur imperi-  
 toribus. & tūc erāt tenebræ. i. lucis absentia.  
 nō enim tenebræ aliquid sunt, sicut nec silē-  
 tium, aut nuditas. Cū autē inter creaturas  
 benedicentes domino ponuntur tenebræ  
 Dan. 3. Benedicite lux & tenebræ domino,  
 non illic accipiūtur, vt ab Aug. sed pro aere  
 obscurato. Nec ideo dicta est materia infor-  
 mis quōd nullam omnino formam habuerit  
 (quia nō aliquid tale corporeū existere po-  
 test) sed quia in confusione & permixtione  
 quadā subsistēs, nōdum pulchram apertā-  
 que receperat formam, qualem modo cerni-  
 mus. Facta est ergo illa materia in forma  
 confusionis, ante formam dispositionis. In

*Materia  
 informis  
 multipli-  
 citer.*

forma confusionis prius omnia corporalia materialiter simul & semel sunt creata, postmodum in forma dispositionis sex diebus sunt ordinata.

*C A P. Secundum. Materia illa informis ad esse ibi prodiit, ubi nunc formata subsistit.*

**D**icimus quod illa prima rerum omnium moles quando creata est, ibidem ad esse videtur prodisse, ubi nunc formata subsistit: eratque terrenum hoc elementum in vno loco eodemque modo subsistens: ceteris tribus in vna confusione permixtis, eisdemque circumquaque in modum cuiusdam nebule oppressis, ita obuolutum erat, ut apparere non posset quod fuit. Illa vero tria in vna permixtione confusa circumquaque suspensa, eoque in altum porrigebantur, quousque nunc summities corporeæ naturæ pertingit, quæ ut ultra locum firmamenti extensa in inferiori parte spissior atque grossior, in superiori vero rarior, leuior, atque subtilior in principio facies mundi erat.

*C A P. Tertium. Successione dierum distinctio rerum facta est.*

*gen. 2.* **S**ex diebus (sicut docet Genesis) distinctit Deus & in formas redegit proprias, cuncta quæ simul materialiter fecerat:

O ij

perfecitque opus suum die sexto, nihilque  
 postea fecit. quod in aliquo illorū non con-  
 tineatur. Operatus est tamen postea, sicut ve-  
 ritas in Evangelio ait, Pater meus operatur  
 usque nunc, & ego operor illud. Operatur au-  
 tem Deus (ut explicat Alcuinus super Gene-  
 sin) quadrupliciter. Primò, in verbo omnia  
 disponēdo: secūdo, in materia informi qua-  
 tuor elemētōrū, de nihilo eam creādo. unde, *Eccle.*  
 Qui viuit in æternum, creauit omnia simul: 8.  
 Omnia, scilicet elementa vel omnia corpora,  
 materialiter simul creauit. Tertiò, per opera  
 sex dierū varias distinxit creaturas. Quartò,  
 ex primordialibus seminibus non incogni-  
 tæ oriuntur naturæ, sed natæ sæpius refor-  
 mantur, ne pereant.

DE DIERV M OPERVM  
 que distinctione: & primò de  
 opere primæ diei.

D I S T I N C T. 13. C A P. Primum.

*Prima distinctio operationis fuit  
 lucis formatio.*

De produ- **I**D ostēdit scriptura Gen. quæ cōmemora-  
 ctione rerū ta rerum informitate, earū dispositionem  
 corporaliū à luce inchoauit, subdēs: Dixit Deus, fiat  
 quantū ad lux: & facta est lux. & diuisit lucem à tene-  
 principium bris, appellauitq; lucem diē, & tenebras no-  
 formale. ctē. & factū est vespere & mane dies vnus.